



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

210. Quid, si postulatio facta à duabus partibus, sed quæ postularunt indignum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

postularunt, erant 32. & nihilominus decernitur, quòd si postulantes non fuerint 32. confirmetur electio illa facta à 16. Electoribus, qui certè non erant major pars Capituli. Idem tenere videtur Lott. *loc. cit. nu. 243.* ubi ex Butrio *in cit. c. scriptum. n. 40.* ait, sat esse pro electo dari aliquem excessum ultra tertiam partem suffragiorum, quam ineligibilis seu postulatus non attingit, citatque pro eodem Tholosan. *in comment. de elect. c. 2. num. 13.* Roman. *conf. 483. à n. 1.* & per sor. *part. 1. num. 4.* subjungit quoque Lott. *num. 244.* ex eodem Roman. *l. cit. num. 2.* & Baldo. *conf. 318. num. 1. l. 3.* hujus rationem, nempe quòd in isto casu lex ipsa transferat vota directà in personam ineligibilem, seu postulantium in personam eligibilem, & habilem, nempe electam à cæteris; quamvis *num. 245.* addat, quòd licet nihilominus Papa, si velit, possit admittere postulationem illam celebratam à non duplo majore numero seu parte, id tamen nunquam faciat, ubi concurrat electio, juxta *cit. c. scriptum.* pro quo citat Anchor. *in c. bona memoria. il. 1. de postul. & ibidem Abb. num. 12.* Tradunt nihilominus Laym. *in c. bona. 3. de postul. num. 5.* & ex eo Pirh. *ad tit. de postul. nu. 18.* quòd si duæ partes Capituli in postulationem aliqujus non consenserunt, sed major tantum pars postularit, & pars minor Capitularium elegerit alium, & tam hæc postulatio, quam electio superiori præsentetur, is possit pro arbitrio, consideratis circumstantiis & qualitibus personarum, vel postulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò, ut ne electo quidem in hoc casu jus aliquod acquiratur ante consensum confirmatoris. Rationem quoque addunt, nempe quòd licet aliàs regulariter potentia capitularis non possit residere in minore parte Capituli præsentis, si tamen postulantes, qui duas partes Capituli non faciunt, unà cum electione facta à minore parte aliorum Capitularium postulationem suam Superiori præsentent, eo ipso tacite censeantur consentire, ut vel postulatio eorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; cùm sciant, quòd postulatio, quæ concorditer ab omnibus, vel saltem à duabus Capituli partibus facta non est, non admittatur, nisi ex speciali gratia, intellige, præ illa, cui aliàs, etiam postulatio facta à duabus partibus vel unanimiter, adhuc innititur. Ac denique hanc observationem adjicit Pirh. *in fine. cit. nu. 18.* quòd ut electio præferatur postulationi facta à minore parte Capitularium, quam duabus partibus, debere esse factam à majore parte, quam sit tertia pars, juxta *c. scriptum:* qualiter eo ipso erit facta, dum postulatio facta non est à duabus partibus, nisi fortè plures sint electi: Item quòd postulatio facta à minore, quam est tertia pars, admittenda non fit, juxta *c. bona. 3. h. t.*

Questio 210. Quid si postulatio facta à duabus partibus, sed qua postularunt indignum?

Respondeo: tam postulationem quam electionem cassandam, Pass. *num. 57.* electio quidem, quia non facta à majore parte (ubi enim electio non fit à majore parte, nunquam est confirmanda Pass. *num. 63.* citans gl. *in c. bona. 3. de postul. v. in tanta*) postulatio verò, quia est postulatio indigni: limitanda tamen responsio; nisi major pars illorù postulantium postulasset scienter indignum; quia tunc confirmanda est electio facta de digno;

quia postulantes scienter indignum perdiderunt jus suum. Pass. *cit. num. 57.* & sic electio digni erit adhuc à majore parte, qualis, ut Pass. *num. 63.* quotiescunque fuerit electio, semper est confirmanda.

Questio 211. An, & qualiter postulatio sit nulla, dum aliquis vocandus contemptus fuit?

Respondeo: si postulatio peracta est, non vocato aliquo, qui existit in possessione eligendi, vel postulandi, rescindenda est postulatio ad petitionem istius contempti, non secus ac contingit in electione; quippe electio & postulatio in jure æquiparantur quòd jus suffragii, & ideo, quòd de uno statuitur, etiam statutum censetur de altero. Laym. *ad c. bona. 4. h. t. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 23.* juxta *cit. c. bona. juncta gl. ibid. v. eis contemptis.* & Abb. *ibidem. num. 5.* idque si contemptus ille interesse & vocari debuerit jure speciali, v. g. consuetudinis. Pirh. *loc. cit. cum Abb. l. cit. num. 6.*

Questio 212. An, & qualiter postulationes variare possint, seu resilire à postulatione jam facta?

1. Respondeo primò: postulatione etiam unanimiter facta & roborata jam subscriptionibus, missoque jam nuncio ad Superiorem, non dum tamen postulatione præsentata Superiori, variare possunt postulantes, & resilire, procedendo ad aliam postulationem, vel etiam electionem. Lott. *l. 3. q. 17. num. 222. & 223.* (ubi postulatio nullum jus postulato tribuit, nec illud quidem, ut ne postulantibus permittitur variatio) Pirh. *ad tit. de postul. n. 20. & 22.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 4.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 7.* Laym. *in c. bona. 4. de postul. num. 6.* & *in c. aliquis. de elect. num. 7.* Barbof. *ad c. publicato. n. 3. de elect. Pass. de elect. c. 24. num. 16.* citantes Abb. *in c. bona. 3. num. 8.* & *in c. bona. 4. num. 10.* & *11. de postul. Sylv. v. postulatio. num. 8.* & alios quam plurim, juxta *cit. c. bona. 4. h. t.* jus enim, ut dictum, quælitum non est postulato per postulationem; generalis autem regula est tradita ab Abb. *loc. ult. cit.* quòd variare siue consilium mutare liceat, si jus alteri nondum quæsitum est. Pass. Pirh. Lott. *ll. cit.*

2. Proceditque responsio, etiam si postulatio, facta per scrutinium, illudque jam publicatum sit; quin &, ut addit Pass. facta fuit communis postulatio, adeoque postulatio completa. Pirh. Laym. Pass. *ll. cit.* contra gl. *in c. bona. 4. h. t. v. diffidere,* quia neque per hoc jus ullum acquisitum adhuc postulato, vel etiam Superiori. Aliud proinde hac in parte est de electione, per quam jus acquiritur electo; uti & ex eo, quòd actus electionis procedat secundum jus commune ex debito officii, ac proinde dum is semel legitime præstitus, siue dum suffragia legitime data & publicata sunt, resilire dein non licet, juxta *c. publicato. de elect.* actus verò postulationis tendat ad gratiam & dispensationem impetrandam contra juris communis tenorem; nemo autem gratiam & dispensationem petere cogatur; & reditus ad juris communis formam communiter sit permittus. Laym. *loc. cit.* Pirh. *n. 20.* cum Abb. *loc. ult. cit. num. 11.*

3. Item procedit, etiam si Electores postulationem jam præsentasset postulato, & is consensisset modo, quo potest; nulla enim hic intervenit donatio; nam neque ex primaria intentione postulantes donant